

derationem, quam ratio actionibus et affectibus humanis imponit; quo modo non est virtus specialis; nam omnis virtus moralis id praestat. 2.^o Strictè pro virtute, quae refraenat appetitum in his, quae maxime alliciunt, ut sunt primario delectationes tactus, et sic est virtus magis specialis, et cardinalis.

II. Quaedam delectationes sunt spirituales, quaedam corporales. Spirituales dicuntur, quae sequuntur operationem mentis, vel phantasiae ut sunt omnes, quae ex contemplatione rerum divinarum, vel naturalium, vel cujusvis veritatis nascuntur; item ex honoribus et fabularum narratione, etc. Circa hujusmodi non est proprie temperantia: nemo enim dicitur temperans, aut intemperans, quod hujusmodi oblectationes moderate, vel praeter modum quaerat, sed vel curiosus, vel ambitiosus vel alio nomine. Corporales sunt quae capiuntur per sensus externos; sed neque circa has omnes versatur haec virtus; quia nemo judicatur temperans, aut intemperans, quod aspectu caelorum et figurarum, aut cantu, aut odoribus moderate aut immodice delectetur; nisi quatenus haec incitant ad delectationes gustus vel tactus. Restant igitur duorum sensuum voluptates tactus et gustus, quarum ultima cum fiat per contactum etiam ad tactum reduci potest; habentur hae delectationes in esculentis, poculentis et venereis, et distinguuntur a delectationibus aliorum sensuum in eo, quod priores sint homini cum reliquis animalibus communes, reliquorum vero sensuum homini propriae; solus enim homo delectatur coloribus, vocibus et odoribus propter ipsam objectorum suavitatem et perfectionem absque ullo respectu ad voluptates tactus aut gustus; caetera vero animalia nequaquam, sed solum ut haec imaginationem cibi aut commixtionis ingerunt, horumque simul cupiditatem excitant; non enim lupo delectatur figurâ ovis per se, aut balatu, aut odore; sed escâ, et illis per accidens tantum; quatenus apprehensionem escæ vicinæ concitant.

I.^a Pars. Prob. 1.^o Ubi est specialis materia et difficultas servandi ordinis rationis requiritur specialis virtus. Sed refraenare appetitum in delectationibus tactus praebet specialem materiam, quae multum obstat ordini rationis servando. Ergo... *Min. prob.* Quia hujusmodi delectationes et vehementissimae sunt, et a ratione longissime abducunt; sunt enim nobis cum bestiis communes, et ea parte, qua cum illis convenimus, percipiuntur; unde etiam maxime turpitudinem et dedecus conjunctum habent, cum similes brutis faciant; quare maxime necessaria fuit virtus, quae has fraenaret, et secundum rationis praescriptum moderaretur. Secundario eadem virtus moderatur oblectationes aliorum sensuum, nimirum quatenus horum objecta ad voluptatem tactus vel gustus; mediante imaginatione incitant: ejusdem enim virtutis est moderari finem, et ea, quae sunt ad finem.

2.^o Ex S. Augustino (1): «Munus enim ejus (temperantiae) est in coercendis sedandisque cupiditatibus, quibus inhiamus in ea, quae nos avertunt a legibus Dei, et a fructu bonitatis ejus, quod est, ut brevi explicem, beata vita.»

II.^a Pars. Prob. Nam, sicut fortitudo est virtus cardinalis, quia confirmat animum adversus ea, quae inter omnia ardua contra rationem maxime absterrent; ita temperantia, quia coercet in iis, quae inter omnia delectabilia maxime contra rationem alliciunt; sicut enim illa versatur in principali arduo et terribili, animum contra illud confirmando; ita haec in principali delectabili, appetitum coercendo.

24. Dico II. Regula temperantiae secundum necessitatem hujus vitae convenientem sumenda est (2).

Dicitur secundum necessitatem convenientem, quia non solum illud dicitur necessarium vitae humanae ejusque officiis, sine quo vivere, aut ea officia obire est impossibile; sed etiam illud sine quo commode et convenienter proprio statui, spectata conditione loci, personarum et negotiorum occurrentium, minime vivitur.

Prob. 1.^o Cum SS. Patribus. S. Augustinus (3): «Habet vir temperans, in hujusmodi rebus mortalibus et fluentibus, vitae regulam, utroque Testamento firmatam, ut eorum nihil deligat, nihil per se appetendum putet; sed ad vitae hujus atque officiorum necessitatem, quantum sat est usurpet.» S. Hieronymus (4) asserit nos recte uti iis delectabilibus rebus, «si non ad delicias, et ad luxuriam, et ad inertiam, sed ad necessitatem naturae, et corporis istius sustentaculum cuncta faciamus.»

2.^o Sententiâ Ecclesiastici (5): *Initium vitae hominis aqua et panis, et vestimentum et domus, protegens turpitudinem;* ubi initium idem significat quod caput et summa eorum, quae vitae hominis sunt necessaria. Verbis S. Pauli ad Corinthios (6): *Hoc itaque dico, fratres: tempus breve est: reliquum est ut qui habent uxores, tamquam non habentes sint..., et qui gaudent tamquam non gaudentes..., et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: praeterit enim figura hujus mundi.* Ad Timotheum (7): *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus;* et alia similia.

3.^o Ratione cum D. Thoma (8): «Bonum virtutis moralis praecipue consistit in ordine rationis... Praecipuus autem ordo rationis consistit in hoc quod aliqua in finem ordinat: et in hoc ordine maxime consistit bonum rationis, nam bonum habet ra-

(1) De morib. Eccles. c. 19.—(2) D. Thom. 2, 2, Q. 141, a. 6.—(3) De morib. Eccles. c. 21.—(4) In Ezech. c. XLIV.—(5) XXIX, 28.—(6) I.^a VII, 29.—(7) I.^a VI, 8.—(8) 2, 2, Q. 141, a. 6.

»tionem finis; et ipse finis est regula eorum, quae sunt ad finem. »Omnia autem delectabilia, quae in usum hominis veniunt, ordinantur ad aliquam hujus vitae necessitatem sicut ad finem. Et »ideo temperantia accipit necessitatem hujus vitae, sicut regulam »delectabilium quibus utitur, ut scilicet tantum eis utatur, quantum necessitas hujus vitae requirit.» Intellige convenienter juxta dicta et D. Thom. (1): attamen non te praetereat inde et ex testimonio D. Augustini colligi: appetere vel facere aliquid solius voluptatis causa, etiamsi ea licita sit, non esse opus virtutis aut ulla laude dignum; quia hoc motivum non est per se honestum, sed inferioris ordinis; quare etiam in brutis locum habet.

25. Dico III. Vitium intemperantiae inter omnia vitia humana est maxime probrosum et infame.

Nota. Duo vitia adversantur temperantiae, intemperantia et stupor, quem D. Thomas (2) vocat insensibilitatem. Illud opponitur temperantiae per excessum, hoc per defectum. Stupor enim est, cum quis ita aversatur et fugit delectationes tactus et gustus, ut nolit eis uti, quando, vel ubi, vel quantum secundum rectam rationem oportet: quod vitium rarum est. Intemperantia est excessus in concupiscendis vel fruendis delectationibus gustus vel tactus: ut cum appetuntur, vel usurpantur, quando, vel ubi non oportet, vel plusquam oportet, vel non eo modo quo oportet, vel quas non oportet.

Prob. 1.º Quia hoc vitio homo vincitur a delectationibus infimis, quas cum brutis habet communes, et ita similis fit brutis, ut in eorum ordinem quasi redigatur, humanae naturae dignitate, et rationis luce veluti extincta; fit mancipium ventris et gulae, et rerum vilissimarum servus: *a quo enim quis superatus est, hujus et servus est*, Apostolo Petro teste (3).

2.º Quia in illis voluptatibus fruendis, nihil, sicut in aliis vitiis, elucet ingenii, nihil industriae, nihil generositatis, nihil quod hominem deceat; sed brutus sine ratione impetus, et caeca sui ad pastum et venerem abjectio.

Additur «inter vitia humana,» i. e. quae hominis naturae aliquo modo sunt conformia, quia magis probrosa sunt quae a natura humana prorsus abhorrent; ut delectari escâ carnis humanae, vel vitiis contra naturam, quae vitia ipsi Philosopho (4) non fuerunt humana, sed ferina vel morbosa (5).

(1) Ibid. ad 2.—(2) 2, 2, Q. 142.—(3) II.^a II, 13.—(4) L. 7, *Ethic.* c. 5.—(5) Ibid. c. 12. Hoc vitium ab Aristotele ad puerilia vitia refertur, quia concupiscentia est similis puero; idque ob quatuor causas: a) Quia sicut puer impetu fertur ad ea, quae oblectant, absque rationis directione; ita concupiscentia. b) Puer si suo arbitrio permittatur, crescit in propria voluntate, magisque fit in

26. Scholia. I. Partes integrantes temperantiae sunt duae: verecundia et honestas. Nam integrum officium temperantiae duabus partibus constat; fuga turpitudinis intemperantiae, et amore decoris temperantiae: ad fugam turpitudinis juvat verecundia; ad amorem decoris honestas. Sed advertite verecundiam esse passionem, non virtutem; dici tamen late virtutem, quatenus laudabile est fugere turpia et probro digna, quod facit haec passio; est enim timor probri ex consideratione rei vel facti turpis seu probrosi. Nota etiam honestum hic non sumi generatim pro conformitate cum recta ratione omni virtuti communi, sed stricte pro eo, in quo peculiariter elucet decor temperantiae; hic autem decor elucet: a) In operibus temperantiae; haec enim habent specialem pulchritudinem, quatenus excludunt ea, quae hominem maxime dedecorant; ut sunt voluptates brutorum. b) In ipso habitu virtutis, quatenus ad opera temperantiae inclinatur. c) In quadam inclinatione speciali, quam quidam habent ad castitatem et alia temperantiae opera: videntur enim quidam natura casti et sobrii (1).

II. Partes subjectivae seu species temperantiae sunt abstinentia, sobrietas, castitas, et pudicitia: quod ex D. Thoma (2) sic ostenditur. Species virtutum distinctionem accipiunt ex ordine ad diversa objecta vel materias; materia autem temperantiae sunt delectationes tactus, quarum duo sunt genera: quaedam enim pertinent ad alimentum, quod constat cibo et potu; et in his quoad cibum est abstinentia, quoad potum sobrietas. Aliae delectationes pertinent ad vim gignendi; quarum alia est principalis ex ipso actu conjunctionis; et circa hanc versatur castitas; aliae secundariae, ex osculis tactibus, amplexibus: circa has est pudicitia. Ex quibus patet, temperantiam, secundum D. Thomam, non sic esse virtutem specialem, quasi sit species specialissima; (cum alias species sub se complectatur) sed quia non est communis, sicut quando significat communem virtutis conditionem; nec ad materiam alterius generis se extendit.

III. Partes potentiales (3) sunt virtutes quaedam secundariae, quae modum illum, quem temperantia servat in fraenanda cupiditate circa maximas et principales voluptates, retinent circa

dies rebellis, juxta illud Eccli. (XXX, 8): *Equus indomitus evadit durus, et filius remissus evadet praeceps*: concupiscentia si suis motibus sinatur, augetur in dies, magisque fit rationi contraria. c) Puer emendatur si coerceatur: concupiscentia si coerceatur et comprimatur, ad debitum honestatis modum perducitur. d) Puer debet vivere ex praescripto pedagogi; concupiscens animae facultas, ex imperio rationis.

(1) Vid. D. Thom. 2, 2, Q. 145. a. 4.—(2) Ibid. Q. 143.—(3) Ibid.

materias secundarias. Tribus modis potest fieri haec moderatio: a) In motibus internis animi. b) In motibus externis. c) In rebus externis. Motus interni, quibus anima prosequitur aliquid, (praeter concupiscentiam, quam moderatur temperantia) sunt tres: primus est motus voluntatis concitatae impetu passionis; et hunc refraenat continentia; qua fit ut licet pars inferior patiatur magnos impetus concupiscentiae, superior tamen non vincatur. Secundus est motus spei, tendentis inordinate in excellentiam aliquam; hunc refraenat humilitas. Tertius est motus irae tendens in vindictam; hunc coercet mansuetudo, cui affinis est clementia. Externa autem, quae moderatione indigent, sunt duo, motus externi, et cultus externus. Motus externos, sub quibus etiam verba intellige, temperat virtus quaedam, quae modestia morum dicit potest. Cultum autem externum et omnem apparatus externum regit alia virtus, quam modestiam cultus vocare possumus. Itaque partes potentiales temperantiae sunt: continentia, umilitas, mansuetudo, clementia, et modestia duplex. Interdum tamen modestia accipitur generalius, ut contineat etiam humilitatem et studiositatem (1).

27. Abstinentia in materia temperantiae significat proprie alimentorum subtractionem, quae major sit, quam ratio temperantiae per se postulet, sed hic accipitur cum D. Thoma (2), ut significet integram virtutem temperantiae circa cibos, et hoc modo est virtus cupiditates et delectationes esculentorum inordinatas refraenans, et in ipso usu debitam moderationem constituens. Debita moderatio in ipso usu requisita est, quae valetudini et officiis mentis congruit; unde D. Augustinus (3): «Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam;» vel certe quae congruit castigationi corporis et carni subjugandae spiritui, absque notabili valetudinis laesione: possunt enim occurrere circumstantiae et justae causae, ob quas expediat abstinere etiam plus quam valetudini congruit, v. g. ut caro castigetur et spiritui subjiciatur, ut pro peccatis satisfiat, etc., etiamsi vires corporis minuuntur; modo tamen non graviter, brevi tempore valetudo frangatur, nec ita ut mens reddatur ad suas functiones ineptior: ea enim bona est corporis valetudo, quae optime menti servit; nam corpus est propter animae functiones.

Abstinentes duo vitia vitare debent: impatientiam et superbiam; ut eleganter docet D. Gregorius (4). Impatientiam quidem,

(1) D. Thom. 2, 2, Q. 143, Q. 160, a. 2, ubi quatuor ponit species modestiae.—(2) Ibid. Q. 146.—(3) L. 10, Confess. c. 31.—(4) 3 part. *Pastor. adm. nit.* 20.

quia abstinentia exsiccat corpus, humores accendit, et biliosos efficit. Superbiam vero, quia magni aestimantur ab hominibus: est enim res vulgo ardua, foris apparens, et speciem eximiae sanctitatis prae se ferens (1). Ad abstinentiam pertinet jejunium de quo:

Dico IV. Jejunium per se est actus bonus et utilis abstinentiae, atque ab Ecclesia praeceptum obligat sub mortali.

Nota. Jejunium abstinentiam quamdam a cibo et potu significat, vel etiam tempus ipsum ejusdem abstinentiae. Atque inde hoc vocabulum usu accommodatum est, ad significanda varia quaedam virtutis officia, in quibus eluceat continentia quaedam animi, sive abstinentia a rebus, quae sensui jucundae sunt. Quatuor genera jejuniorum distinguuntur a DD.: 1.º Jejunium generale, quod est abstinentia a quibuslibet illicitis voluptatibus. 2.º Jejunium naturae seu naturale, quod in omnimoda abstinentia a cibo et potu consistit, qualis est ejus, qui nihil omnino in die adhuc vel cibi vel potus sumpsit. Hujusmodi jejunium requiritur in eo, qui sacram Eucharistiam sumpturus est. 3.º Jejunium, quod morale vocari potest, consistit in recto et moderato usu cibi et potus secundum communem normam virtutis temperantiae, seu potius abstinentiae. Hujusmodi jejunium perpetuum esse debet: siquidem numquam licet cibo et potu intemperanter uti. 4.º Jejunium aliud quoddam peculiare consistens tum in diuturniori quaedam abstinentia a cibo vel etiam potu, quam praescribebat et exigebat communis norma temperantiae, tum etiam cibi aut etiam potus usu parciori, sive austeriori, quam exigebat quoque eadem temperantiae norma. Et hujusmodi jejunium maxime proprie jejunium solet nominari. Ad hoc genus jejuniorum pertinet jejunium, quod ex norma et praescripto Ecclesiae appellatur a DD. jejunium ecclesiasticum seu sacrum, de quo est nobis sermo in praesenti. Describi potest cum Valentia (2): «Jejunium ecclesiasticum est peculiaris quaedam parsimonia victus per abstinentiam diurnam, quae et duret diutius quam requirat communis regula temperantiae, et fit etiam a quibusdam generibus ciborum, qui possent alioqui usurpari salva communi eadem regula seu lege temperantiae.» Perficitur tribus, scilicet unica per diem viginti quatuor horarum comestione, abstinentiâ a carnibus et aliquando a lacticiniis, tempore ad refectionem sumendam praescripto. Quo pacto haec servanda sint, quantum ratione temporum, consuetudinis, personarum, localium privilegiorum varient, disce apud summi-

(1) Vid. S. Augustinum L. 10, Confes. c. 30.—(2) In 2, 2, Disp. IX, Q. II, Punct. I. L. E.

stas casuum; hic solum agendum de honestate et gravi jejunandi obligatione contra antiquos haereticos, protestantes et modernos rationalistas.

I.^a Pars. Prob. 1.^o Conciliorum decretis, in quibus sicut abstinentia a quibusdam cibis quasi naturâ sua malis et immundis prohibetur, simul approbatur abstinentia et jejunium ad vincendam et frangendam concupiscentiam, ut in Toletano I (1) ubi commendatur abstinentia «a carnibus avium seu pecudum, pro castigatione hominum:» et in Bracarense I abstinentia a «cibis »carnium propter afflictionem sui corporis.» Ex aliis Conciliis jejunium praecipientibus in secunda parte afferendis.

2.^o Scripturâ, Patribus et ratione cum D. Thoma (2): a) Jejunium connumeratur ab Apostolo (3) aliis virtutum actibus: *in jejuniis, in scientia, in castitate.* b) «Ex hoc aliquis actus est virtuosus quod per rationem ordinatur ad aliquod bonum honestum. »Hoc autem convenit jejunio: assumitur enim jejunium principaliter propter tria. Primo quidem ad concupiscentias carnis reprimendas; unde Apostolus dicit in auctoritate inducta: *in jejuniis, in castitate,* quia per jejunia castitas conservatur. Ut enim Hieronymus dicit (4): «sine Cerere et Baccho friget Venus,» i. e. per abstinentiam cibi et potus tepescit luxuria. Secundo assumitur ad hoc quod mens liberius eleveur ad sublimia contemplanda: unde dicitur (5) quod (Daniel) post jejunium trium hebdomadarum revelationem accepit a Deo. Tertio ad satisfaciendum pro peccatis; unde dicitur Joel (6). *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, in fletu et planctu.* Et hoc est quod Augustinus dicit in quodam sermone (7): «Jejunium purgat animam, mentem sublevat, propriam carnem spiritui subicit, cor facit contritum et humiliatum, concupiscentiae nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verum lumen accendit.» Unde patet quod jejunium est actus virtutis;» ac proinde bonus et utilis per se. In praefatione quadragesimae profitetur Ecclesia Deum «corporali jejunio» praecepto, vitia comprimere, mentem elevare, virtutem largiri et praemia: ergo jejunium amore virtutis susceptum nequit non esse bonum et utile. c) Jejunium esse actum abstinentiae virtutis dicit S. Isidorus (8): «jejunium est parsimonia victus abstinentiaque ciborum;» et deinde prob. «Nam eadem est materia habitus et actus.... Jejunium autem attenditur »in cibis, in quibus medium adinvenit abstinentia. Unde manifestum est quod jejunium est abstinentiae actus.»

(1) Assert. fidei.—(2) 2, 2, Q. 147, aa. 1, 2.—(3) II.^a Cor. VI, 5.—(4) L. 2, contr. Jov. c. 6.—(5) Dan. X.—(6) II, 12.—(7) De orat. et jejun. 220 de tempor.—(8) L. 6, Etymol. c. 18.

II.^a Pars. Prob. 1.^o Omnis lex de bono actu, per quam Ecclesia intendit in conscientia obligare, est necessario observanda ad vitandum peccatum. Sed talis est lex de jejunio. Ergo... *Min.* patet ex Scripturis (1.^a Part.) allatis, quibus jejunium tamquam opus aliquod bonum et utile commendatur. Quod vero Ecclesia intendat ad illud sub peccato obligare, notum est, ac patebit magis ex his testimoniis ecclesiasticis, quae in prob. 2.^o adducemus. *Major* etiam fuit a nobis probata Disquis. III, Thes. XV.

2.^o Conciliis. Synod. VI oecumenica, Constantinop. III, can. 56: «Visum est ut omnis Dei Ecclesia, quae est in universo »terrarum orbe unum ordinem sequens, jejunium perficiat, et »abstineat sicut ab omni mactabili, sic (in quadragesima) ab ovibus »et caseo, quae quidem sunt fructus et foetus eorum a quibus abstinemus: Si autem hoc non servaverint, si sint quidem clerici, »deponantur, si autem laici, segregentur.» Concil. Gangrense (ann. 325) can. 19, habet: «Si quis jejunia, quae communiter custodiuntur ab Ecclesia, dissolvat, sit anathema.» Toletanum VIII, can. 9: «Quisquis absque inevitabili necessitate diebus quadragesimae esum carniû praesumpserit attentare, non solum reus erit »Resurrectionis Dominicae, verum etiam alienus ab ejusdem diei »sancta communione.» Merito igitur inter propositiones damnatas ab Alexandro VII sunt 23.^a: «Frangens jejunium Ecclesiae, »ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel »inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subicere praecepto.» Et 32.^a «Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et »lactinia in quadragesima obliget.»

3.^o Ex Patribus S. Ambrosius (1): «Non... leve peccatum est, »fidelibus indictam quadragesimam a Domino (intellige, instinctu saltem et exemplo quodam) violare, et jejunia consecrata ventris »voracitate dissolvere.» S. Joannes Chrysost. (2) testatur ita obligare jejunium, ut «omnia quis mallet pati, quam prohibetum tangere nutrimentum,» quod non nisi de obligationibus gravibus solet dici. Rabanus (3) ait: «Qui constituta atque de »mandata jejunia servare neglexerit, peccat. Qui autem expletis »legitimis, privata superinduxerit, propriam mercedem habebit.»

4.^o Ratio obligationis gravis jejunii est, ut ait Lessius (4), «quia res praecepta capax est hujus obligationis; (est enim opus »virtutis, homini ad salutem necessarium aut valde expediens et »in suo genere grave) et Ecclesia absolute praecipit, nec temperat »obligationem secundum hunc vel illum modum violandi, (puta

(1) Serm. 21, n. 4.—(2) Homil. ad popul. Antioch.—(3) L. 2, de const. Clericorum, c. 25.—(4) De Just. et Jur. L. 4, c. 2. n. 33.

»cum contemptu vel sine contemptu): ergo imponit sub mortali.
 »*Consequentia* patet ex communi regula, praecepta obligare pro
 »materiae capacitate et gravitate... nisi diserte aliud in lege expri-
 »matur. Confirm. Quia praecepta divina obligant absolute in re
 »gravi, sub mortali, etiamsi vel semel violentur, nec admittunt di-
 »stinctionem, ex consuetudini, ex infirmitate: ergo etiam huma-
 »na. *Consequentia* patet, quia praecepta humana debent imitari di-
 »vina, et Deus non est minus in praecipiendo suavis, nec minus se
 »infirmitati humanae accommodat, quam Ecclesia.»

Difficultates, quae ab adversariis opponuntur facile ex datis ar-
 gumentis propulsantur, omnes enim debemus Ecclesiae legibus
 obedientiam; quod si aliqua jejunia reprehenduntur in Novo Testa-
 mento et Patribus non sunt certe jejunia ab Ecclesia praescripta,
 sed quae redolebant judaicam superstitionem, aut nitebantur in
 errore Manichaeorum carnes avium et pecudum naturâ sua malas
 reputantium, aut aliis erant causa ruinae spiritualis ratione non
 sufficientis discretionis ciborum licitorum et illicitorum. Quando
 Christus dixit (1): *non possunt filii sponsi jejunare, quamdiu cum*
ipsis est sponsus, significavit juxta Bedam (2) apostolos non
 debere jejunare juxta veterem judaeorum observantiam; aliter
 Augustinus (3), «qui distinguit duplex jejunium. Quorum
 »unum pertinet ad humilitatem tribulationis: et hoc non competit
 »viris perfectis, qui dicuntur *filiis sponsi*, unde ubi Lucas dicit:
 »*Non possunt filii sponsi jejunare*, dicit Matthaeus (4): *Non*
 »*possunt filii sponsi lugere*. Aliud autem est quod pertinet ad gau-
 »dium mentis in spiritualia suspensae: et tale jejunium convenit
 »perfectis (5).» (Vide Valentiam in 2, 2, D. IX, Q. II, Punct. I
 et II) (6).

(1) Luc. V, 34.—(2) In Luc. L. 2, c. 5.—(3) De consens. Evangel. L. 2, c. 27.
 —(4) IX, 15.—(5) Ex D. Thom. 2, 2, Q. 147, a. 4.—(6) Ad finem nota,
 nos dixisse ab Ecclesia praeceptum, ut innuerimus: jejunium etiam so-
 lemne quadragesimale non esse juris divini, sed humani,
 sub jure humano comprehendendo etiam ordinationes
 Apostolorum, quas ipsi ut rectores Ecclesiarum fecere.

Id constat. a) Quia Patres passim docent jejunium quadragesimae esse ab
 Apostolis institutum et ab Ecclesia traditum. S. Hieronymus (Epist. 56,
 ad Marcellan.) de erroribus Montani: «Nos unam quadragesimam secundum tra-
 »ditionem Apostolorum, toto anno, tempore congruo jejunamus.» S. Leo
 (serm. 6, de quadrages.) «Apostolica institutio quadraginta dierum jejunii im-
 »pletur.» b) Si esset a Domino institutum, non posset in illud incidere tanta va-
 riatio, quoad tempus, modum, cibos, aetatem jejunantium, exemptiones plurimo-
 rum, quantam consuetudine variis temporibus et locis videmus inductam; sed ab
 omnibus eodem modo servari deberet: nam jus divinum non posset consuetu-
 dine mutari. c) Si Christus instituit, id fecit solum exemplo, ut Patres indicant:
 nullum enim aliud in Evangelio hujus rei habemus vestigium; sed exemplo non

Sobrietas, potest sumi *generatim* ut temperantia, *stricte* pro
 temperantia ut est abstinencia, *strictissime* est virtus, quae affe-
 ctum et usum potionis inebriare valentis debite moderatur. In-
 ebriare valentis, quia haec est propria materia hujus virtutis; si non
 possit inebriare v. g. potus aquae saccharatae, lactis, etc., non
 pertinebit ad hanc virtutem: neque excessus erit contra sobrieta-
 tem, sed contra abstinenciam. Est hoc sensu sumpta specialis vir-
 tus, nam congrua moderatio in usu potus inebriantis, v. g. vini,
 habet peculiarem difficultatem, quae non est in moderatione cibi
 et potus alterius; tum quia homines passim sunt magis proclives
 ad excessum in vino, quam in cibo; tum quia excessus in illo est
 multo facilior, tum denique quia est gravior; et majorem noxam in-
 fert, ut Proverb. (1): *Ingreditur blande, sed in novissimo mordebit*
ut coluber.

Castitas: 1.^o *Generatim* et per metaphoram significat puri-
 tatem animi ab omni amore et delectatione inordinata creaturarum,
 atque adeo ab omni labe peccati, quae in amore inordinato creatu-
 rarum consistit: proprie est virtus, quae moderatur affectum et
 usum in venereis, ne aliter admittantur, quam rectae rationis prae-
 scripto secundum praesentem statum congruit. Est perfecta, si ab
 omnibus voluptatibus carnis, tam licitis quam illicitis, perpetuo
 abstinere proponit: unde etiam affectum nuptiarum excludit. Est
 imperfecta, si solum ad tempus id proponit, vel solum ab illicitis
 abstinere, et licitis moderate uti, ut in matrimonio. 2.^o Si objicitur
 abstinere, et licitis moderate uti, ut in matrimonio. Si objicitur
 non videri per se honestum, abstinere se a licitis et moderatis:
 respondeo concedo; si id dicatur per se honestum, quod in omni
 statu, et cum quibusvis circumstantiis honestum est; sic abstinere
 ab illis voluptatibus non est per se honestum, ut in initio mundi,
 genere humano nondum propagato; nego vero si per se honestum

instituit; quia illud nimium a nostro jejunio discrepat: ille enim nullam discre-
 tionem ciborum habuit; sed per quadraginta dies et noctes omni cibo et potu
 abstinuit; nos delectum ciborum habemus, nec continuis quadraginta diebus je-
 junamus, semper diem dominicam excipimus. Itaque etsi hoc exemplo nos pro-
 vocaret ad jejunium totidem dierum pro modulo nostro suscipiendum; non tamen
 praecepit nec instituit nostrum; sed id Apostolis et Rectoribus Ecclesiae reliquit,
 sicut et caetera, quae ad Ecclesiae disciplinam pertinent: satis enim erat Domino
 fundamenta Religionis, quae inconcussa manere debebant, per se instituisse. Nec
 aliter intelligendi sunt Patres aliqui, qui interdum indicant jejunium esse a Deo
 institutum: id faciunt, quia jure divino est nobis praeceptum in genere absque
 determinatione temporis et modi, quae relicta est Ecclesiae dispositioni. Sepo-
 sita autem hac determinatione tenemur jure divino (naturae) jejunare, quando
 id putatur necessarium ad aliquas tentationes praesertim carnis superandas.
 (Less. de Just. L. 4, c. 2, n. 30.)

(1) XXIII, 32.